

Judice ad superiorem facta provocatio, ut lata sententia corrigatur vel revocetur. Quamobrem appellatio est species quae-dam defensionis a gravamine per injustam sententiam illato vel imminente. Appellatio vel extrajudicialis est, vel judicialis. Illa emittitur contra gravamen extra judicium illatum vel inferendum, veluti contra injustam electionem, spoliationem, aliosque actus jurisdictionis quae extra judicium exerceatur. Hae non sunt verae appellationes, sed potius provocations ad causam, quia pertinent ad causam inchoandam, nisi gravamen revocetur, cap. 5 hoc tit. Judicialis est quae interponitur adversus actus judiciales, hoc est contra sententiam interlocutoriam vel definitivam. Inter appellationem a definitiva et interlocutoria illud in primis discriminem est, quod appellatio a definitiva potestatem Judicis a quo appellatum est et vim sententiae ab eo latae omnino suspendit, totamque causam ad Superiorem devolvit in quo vis et natura appellationis posita est, unde post rite interpositam appellationem quidquid ab inferiore Judice in praejudicium litis suscipiatur, attentatum dicitur et jure ipso nullum est, adeoque ad instantiam appellantis a Judice appellationis revocandum. At appellatio ab interlocutoria inferioris Judicis non suspendit jurisdictionem, nisi a Judice appellationis litterae inhibitionis datae fuerint, ne Judex inferior procedat. Item appellans a definitiva non tenetur causam exprimere cur appellavit; appellantem vero ab interlocutoria oportet appellationis causam adsignare; adeoque in appellatione a definitiva si incontinenti et apud acta fiat, satis erit etiam simplici voce hoc unum verbum proferre *appello*; contra appellatio ab interlocutoria omnino in scriptis proponenda est. Definitivam enim sententiam Judex qui eam protulit mutare vetatur; interlocutoriam autem mutare et corrigerem potest, ac proinde aequum est in appellatione ab interlocutoria causam, eamque in scriptis exprimere cur revocari debeat vel emendari.

Non solum quilibet, contra quem lata sententia est, appelle-

lare potest, sed etiam omnes quorum interest sententiam re-vocari.

Ita si emptor de proprietate victus non appellat, venditori appellare licet quum ejus intersit, propterea quod emptori esse potest contra venditorem regressus. Unius autem appellatio aliis quoque prodest « qui communi jure juventur, idemque negotium et eadem causa defensionis existat, » cap. 72 hoc tit., quo pertinet titulus codicis « Si unus ex pluribus appellaverit. » Quin ex cap. SUPER EO 15 de Offic. Delegat., etiamsi Judex omni appellatione remota datus fuerit, tertio appellare licebit, quandoquidem per eam formula beneficium appellationis eis tantum sublatum est, inter quos causa commissa et acta fuit, non autem aliis quorum interesse potest appellare. Princeps enim non censemur juribus aliorum obesse velle, nisi expresse mentionem faciat. Praeterea alieno nomine appellare licet; sic Procurator pro suo Principali recte appellat, imo appellare debet, quamvis speciale mandatum ad id non habeat, quum generale ad lites sufficiat; itemque appellare tenentur Tutores et Curatores pro pupillis vel minoribus, Capitulum pro Episcopo si Ecclesiae bona aut jura in discrimen adducantur, et quilibet communi humanitatis officio appellare pro eo potest qui capite damnatus est, etiamsi damnatus ad supplicium ultro festinet et appellationi reluctetur, L. 6 ff. de Appellatione.

Cum autem appellatio ad removendum gravamen injustum comparata sit, sic eis prorsus denegatur qui vere gravati non sunt. Igitur frustra appellant qui expresse vel tacite appellationi renuntiarunt, vel sententiam quoquo modo approbando, vel juramento se non appellaturos promittendo; qui tribus conformibus sententiis damnati sunt, quod pro comperta veritate habeantur, neve lites in infinitum progrediantur; qui vere contumaces fuerint, idque in poenam constitutum est ob eam causam, quod si liceret impune judicium fugere, nullus esset litium finis, nullus esset justitiae locus;

vel confessi aut ita convicti ut nonnisi differendi judicii causa videantur appellare.

In omnibus vero causis appellare licet. At appellatio aliquando impedit, quominus sententia exsecutioni mandetur, nonnunquam vero exsecutionem non suspendit, quamobrem appellatio habere dicitur effectum vel suspensivum, vel devolutivum. Itaque duo praesertim sunt causarum genera, in quibus appellatio exsecutionem sententiae non suspendit. Ad primum genus pertinent sententiae, quibus censura aliqua inficta est, itemque causee quae curam animarum, divinum cultum, correctionem, aut morum emendationem spectant, veluti decreta Episcopi in Sacra Visitatione. Ad alterum causarum genus pertinent : 1. Causae quae moram non patiuntur, veluti si agatur de alimentis futuris, de mercedibus, de ponte reficiendo, de testamento aperiendo; itemque causee de momentanea possessione, de restituendo deposito, et super spolii restitutione. 2. Causae per juramentum judiciale non necessarium definitae. 3. Causae quae versantur super re manifesta et notoria ; quin ubi frivola est appellatio, multa per Superiorem appellanti indici potest. 4. Causae per Pontificem aut Principem commissae quacumque appellatione remota. 5. Causae per Arbitri voluntarii sententiam definitae. 6. Causae quae paratam, ut aiunt, exsecutionem non habent, uti sunt obligationes camerales, litterae cambii, aliaeque plures quas expressit Benedictus XIV in sua Constitut. ROMANAE CURIAE.

Appellatio proponenda et peragenda est intra legitima tempora quae vulgo *fatales dies* appellantur. Sunt autem hujusmodi tempora quatuor, primum ad appellandum, alterum ad petendos libellos dimissorios, tertium ad introducendam appellationem, et postremum ad eam prosequendam et finiendam. Quod ad tempus primum attinet appellatio interponenda est, ut supra monuimus, infra decem dies qui inter praesentes a die latae sententiae, inter absentes vero a die notitiae

habitae numerantur. Tempus petendi libellos dimissorios est spatium dierum triginta a die latae sententiae, vel ejus notitiae. Libelli autem dimissorii sunt litterae a Judice inferiore, a quo appellatum est, ad Superiorem datae, ut fidem faciant interpositae appellationis, et dicuntur etiam *apostoli* a graeco verbo ἀποστέλλω id est *mitto* seu *dimitto*; significant enim causam a primo Judice ad superiorem Judicem dimitti. Hujusmodi libelli dimissorii seu apostoli si testentur interpositam et admissam esse appellationem, nominantur *dimissorii*; si vero testentur admissam quidem esse appellationem, sed non propter ejus justitiam, verumtamen ob reverentiam Superioris, dicuntur *reverentiales*; si testentur appellationem interpositam, sed appellationi minime delatum fuisse ob causam quae exprimenda est, vocantur *refutatorii*. Nonnulli autem addunt *testimoniales* et *conventionales*. Piores sunt, quibus notarius testificatur coram se appellatum esse, quod Judicis copia haberri non potuit, conventionales sunt qui dantur a parte contra quam appellatur dum appellationi consentit. Hodie nullus est in utroque foro apostolorum usus, sed eorum loco appellanti traditur exemplum tam sententiae, aut decreti a quo appellat, quam appellationis interpositae. Sive apostoli sive exemplum hoc Judici appellationis exhibeantur, et ipse appellationem receperit in devolutivo tantum, litteras compulsoriales nuncupatas appellanti tradit, quibus mandat inferiori Judici, ut intra certum tempus acta prioris judicij transmittat ; si vero appellationem recipiat etiam in suspensivo, tradit litteras inhibitoriales, quibus inferiori Judici vetat ne qui innovet super causa, sicque exsecutio et inferioris jurisdictione suspenditur, ut quidquid inferior postea gesserit, attentatum habeatur ante omnia revocandum. De temporis spatio, infra quod appellatio apud Judicem Superiorem introducenda sit, nihil certi in Decretalibus habetur. Quamobrem id relinquitur prudenti arbitrio Judicis a quo appellatum est. Quartum denique tempus prosequendae nimirum et

finiendae appellationis tam jure civili, quam canonico est annus, et justa ex causa biennum quod Jure Decretalium ab interposita appellatione initium habet. Sed nimia causarum frequentia efficit, ut appellationes praescripto tempore finiri nequeant.

Appellationes autem gradatim interponendae sunt, hoc est a Judice inferiore ad eum qui proximo in gradu Superior est, ut puta ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitanu ad Primatem, a Primate ad Patriarcham, et si appelleatur per saltum omissio Judice intermedio appellatio non consistit, quandoquidem jurisdictionis gradus custodiendi sunt, ne confusio in ecclesiasticis negotiis oriatur. Hinc Honorius III in cap. DILECTI hoc tit. rescripsit sententiam Archiepiscopi non valuisse, propterea quod causa ab Archidiacono ad ipsum Archiepiscopum omissio Episcopo Dioecesano delata fuerat. Haec tamen de Judicibus Pontifice inferioribus intelligenda sunt, ad Pontificem enim quivis jure potest omissis quoque mediis appellare : « Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. » Ita Ep. 7 ad Episcopos Dardaniae an. 495 scripsit Gelasius Papa, cuius auctoritatem Nicolaus I allegavit Ep. 8 ad Michaelem Imperatorem. Ad haec Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 4 cap. 5 jus recipiendi appellationes non institutione humana, sed divina Primitui cohaerere, sic praeclare animadvertisit : « Est autem ejusmodi appellationum jus adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primitui, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari : etenim cum Primitus praerogativa Romanus Pontifex sit Supremus in Ecclesia Judex,

cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem : ab inferioris quippe sententia Superioris tribunal adire, omnibus concessum ipsa naturalis aequitas dictat et persuadet. » Quae omnia de causis spiritualibus et ecclesiasticis dicta sint.

Nemini autem fas est a sententia Pontificis appellare, nam absurdum est inferiorem Judicem delere et emendare sententiam ejus qui in terris nemini subest. Sane a Summi Pontificis judicio ad Concilium appellantates jure merito damnati sunt in Constitutione Pii II quae incipit EXECRABILIS, in Constitut. Julii II cuius initium SUSCEPTIS, aliisque S. Pontificum Constitutionibus. Ipse Petrus de Marca fateri cogitur a Pontifice ad Concilium appellationes a veteri disciplina alienas esse. Certe quidem hujusmodi appellationes id unum spectant et moliuntur, ut auctoritatem Pontificis illudant, et ecclesiastica judicia frustrentur. Itaque perniciosae sunt regimini Ecclesiae, quia auctoritas legitima Pontificis labefactatur, imperandi vis inhibetur, et inobedientia inulta manet. Exitiosae sunt paci et unitati, quia facilis schismati panditur aditus, difficilior autem fit medela : exitiosae sunt fidei, quia haereses impune grassantur, propterea quod nec semper, nec quacumque de causa Concilia haberi possunt. Uno verbo a sententia Pontificis ad Concilium appellare numquid aliud est, quam impune velle in errore et iniquitate perseverare, alias corrumperet, et Ecclesiam perturbaret? S. Antoninus doctrina et sanctitate clarissimus part. 3 sum. tit. 23 cap. 3 de Appellat. Papae § 3 affirmare non dubitavit : « sentire quod ad Concilium a Papa appellari possit, est haereticum, et contra illum articulum SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, nam si licitum esset appellare a Papa, et ille ad quem appellatur esset Caput; sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum. »

De Appellatione ab abusu jam diximus in Jure publ. Ecclesiastico Lib. 3 § 67.

§ 227.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Qui appellationis remedio destituti sunt, sive quod appellatio aut non interposita aut deserta fuit, sive quod ob tres conformes sententias nullus appellandi locus reliquus est, unum eis superest extraordinarium remedium *restitutiones in integrum*, quae cap. Ex LITTERIS 4 hoc. tit. definitur « in pristinum statum repositio. » Namque petita in integrum restitutione omnia in suo statu permanere debent, quoad constet de causis in integrum restituendi, adeoque nihil interim innovari, nec sententia executioni mandari potest, perinde ac si appellatio interposita fuisset. Impetrata autem in integrum restitutione omnia in pristinum statum reducuntur, quandoquidem sententia vel negotium gestum rescinditur, et unicuique sua jura restituuntur. Hinc restitutione contra venditionem impetrata, restitutus et integrum rem venditam recuperat, et vicissim emptori reddendum est pretium quod persolverat.

Haec restitutio non temere, sed certis personis et certis de causis intra praefinitum a jure tempus conceditur. Et primo conceditur minoribus 25 annis, etiam puberibus qui sint patres familias, ubi se laeosos fuisse ostenderint: et laesio quidem intelligitur, sive rem propriam amiserint, sive lucrum, quod facere poterant, omiserint, sive oneri necessario sese obstrinxerint, quin etiam Judicis decreto intercedente. Cessat tamen hoc beneficium: 1. Si minor factus major ratum habeat quodminor gesserat, quia talis actus a majori gestus censetur. 2. Si minor se majorem simulaverit, idque fraudulenter, quia jura deceptis succurrunt, non decipientibus. 3. Si aetatis veniam a Principe impetraverit; tunc enim fictione juris major natu reputatur et liberam consequitur suarum rerum administrationem, non tamen

§ CCXXVII. DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE. 513

potest sine Judicis decreto bona immobilia alienare, aut hypothecare. 4. Si actum jurejurando confirmaverit, idque ob Sacramenti religionem, Authent. SACRAMENTA PUBERUM cod. Si advers. vendit. 5. Si post negotium prudenter gestum laesus sit fortuito casu, « quia non eventus damni restitutio nem indulget, sed inconsulta facilitas, » sicuti ait Ulpianus L. 11 ff. § 4 de Minoribus.

Jure minorum fruitur tum Respublica, tum Ecclesia alia que Loca Pia ecclesiastica, quae ubi laesa sunt, in integrum restituuntur. Restituitur Ecclesia non modo contra privatos, verum etiam contra aliam Ecclesiam, si altera laesa sit et altera laeserit, sive una certet de damno vitando, altera de lucro captando; namque in pari causa de damno utrinque vitando altera contra alteram non restituitur, utpote quae pari privilegio fruantur, sicuti in pari conditione minor contra minorum non restituitur. Majores etiam 25 in annis integrum restituuntur; sed a minoribus hac in re differunt, quod minores probata laesione restuantur, sive fraude alterius, sive lubrica aetate, aut imprudentia et culpa propria laesi fuerint, sed majores tum laesionem demonstrare debent, tum causam, ob quam laesio contigit, eis imputari non posse, qualis esset, si errore, dolo, vel fraude alterius ad contrahendum fuerint adacti, sive ob absentiam Reipublicae causa, captivitatem, aliamque justam rationem remedio appellationis uti nequerint.

Restitutio locum habet tum adversus sententiam quae in rem judicatam abierit, tum adversus alia negotia in quibus notabilis laesio interfuerit. Sed requiritur: 1. Ut negotium sit civile, non criminale: sic minor propter furtum condemnatus non restituitur: « quia malorum mores infirmitas animi non excusat, » ut loquitur L. 4 cod. Si ADVERSUS DELICTA. 2. Ut sit ipso jure validum, nam restitutio dari non solet, ubi ordinaria remedia praesto sint; quamobrem si actus ipso jure non subsistat, ordinaria actione agendum erit. Ita si minor

absque decreto Judicis res immobiles alienaverit, non restituatur; quippe quum alienatio irrita sit, agere potest vindicatione rei, et quoies dubitet utrum contractus valeat, alterutrum petere potest, ut vel contractus nullus pronuntietur, vel in integrum restituatur. 3. Ut negotium rescindi possit: frusta et enim postulatur restitutio adversus matrimonium, professionem religiosam, Ordines sacros rite susceptos. Restitutio autem non conceditur, nisi praevia cognitione causae, et semel denegata non amplius tribuitur, nisi novae causae prodierint ob quas indulgenda videatur. Igitur in primis vendendum est, an qui petit ex iis sit qui hoc beneficio juvantur, et num causa cur petit ex iis sit ob quas restitutio petentibus permissa est. At vero causae restitutionum in integrum coram Judicibus ordinariis, qui administrationem habent, aut Delegatis ab eis tractandae sunt, non autem coram mero executorie aut Arbitro, nisi coram eis quaestio restitutionis incidenter mota fuerit, quo casu cognoscunt quidem, sed vetantur pronuntiare. Debet autem Judex esse competens respectu illius contra quem restitutio petitur, et restituere potest adversus sententiam vel a se, vel ab alio inferioris parvis auctoritatis Judice prolatam, non adversus sententiam Superioris. Tempus restitutionis petendae est quadriennium continuum, quod minores computant a die quo minorem aetatem excesserunt, Ecclesia et Respublica a die laisionis factae, sive ut aliqui putant a die laisionis cognitae, et denique maiores a die remotae causae aut impedimenti, propter quod in integrum restituuntur, excepta actione metus quae uno anno, et actione doli quae biennio finitur.

CAPUT II.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS.

§ 228.

DE NATURA DELICTI ECCLESIASTICI, EJUSQUE DIVISIONE.

Delictum seu crimen est libera ac voluntaria divini aut humani Juris violatio, quae in detrimentum Ecclesiae vel civilis Societatis redundat. Per haec posteriora verba crimen a peccato distinguitur; peccatum enim est quaevis actio vel omission divinis humanisque legibus contraria, etiamsi Societas detimenti nihil accipiat. Delicta autem seu crimina vel directe Ecclesiae soli, vel soli civili Reipublicae, vel utrique simul officiunt. Hinc criminum divisio orta est in ecclesiastica, civilia et mista. Igitur ecclesiastica sunt, quae fidem et religionem directe laedunt, qualia sunt Apostasia, Haeresis, Schisma, Simonia, et hujus generis alia: civilia sunt, quae directe laedunt Rempublicam, uti homicidium, furtum, peculatus et similia: demum communia seu mista sunt, quae Religioni et Reipublicae nocent, veluti crimen usurarum, adulterii, concubinatus, sortilegii et hujusmodi. De criminibus ecclesiasticis solus Judex Ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit et judicat; siquidem judicium est de re spirituali, sive de crimine quod Religionem directe spectat, de quo ab una Ecclesia et leges conditae, et poenae constitutae sunt. Crimina civilia Judex laicus contra laicos cognoscit: crimina autem mista uterque Judex cognoscit servata lege praeventionis. Verum haec spectant externum forum; nam Ecclesia in foro interno et Sacramentali in omnia tam Clericorum, quam laicorum crimina potestatem exercet, eaque retinet aut absolvit salutibus impositis poenitentiis.

Quoniam ratio Institutionum non patitur, ut singula eccl-